

§. III. Docet tertio, Baptismum collatum ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verum esse Baptismum, nec propterea iterandum. Docet IV. Baptismum necessitate medii necessarium esse ad salutem. V. Gratiam justificationis & sanctificationis acceptam, per peccatum amitti posse. VI. Per Baptismum, non Fidei tantum debitores fieri baptizatos, sed totius etiam Legis Christi servandæ. VII. Per Baptismum omnia peccata dimitti, scilicet in infantibus peccatum originale, in adultis vero etiam actualia peccata. VIII. Tantam esse vim hujus Sacramenti, ut omnem pœnam sive æternam, sive temporalem dimittat. IX. Tandem per Baptismi Sacramentum imprimi Characterem, & ob eandem rationem iterari non posse. Hæc omnia constant tum *ex Florentino*, tum *ex Tridentino sess. 7.*

§. IV. Hanc Ecclesiæ Matris nostræ doctrinam paucis explicat *S. Thomas Opusculo V. de Articulis Fidei, & Ecclesiæ Sacramentis ad Archiepiscopum Panormitanum*, „ Circa „ Baptismum sciendum est, quod materia Baptismi est aqua „ vera, & naturalis, nec differt utrum sit frigida vel cale- „ facta. In aquis autem artificialibus, sicut est aqua rosa- „ cea, & aliis hujusmodi non potest baptizari. Forma au- „ tem Baptismi est ista: *Ego te baptizo in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti.* Minister hujus Sacramenti „ proprius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. „ In articulo tamen necessitatis, non solum Diaconus, sed „ etiam laicus & mulier, imo paganus, etiam hæreticus „ potest baptizare, dummodo servet formam Ecclesiæ, & „ intendat facere quod facit Ecclesia. Si vero extra articu- „ lum necessitatis aliquis a talibus baptizaretur, recipit qui- „ dem Sacramentum (Characterem scilicet) & non debet „ iterum baptizari, non tamen recipit gratiam Sacramen- „ ti, quia hujusmodi facti deputantur, utpote contra statu- „ tum Ecclesiæ Sacramentum accipientes. Effectus autem „ Baptismi est remissio culpæ originalis, & etiam totius „ culpæ, & pœnæ; ita quod baptizatis non est aliqua satis- „ factio injungenda pro peccatis præteritis, sed statim „ mo-